

1573

ASCETICI.

1574

U. 617

DCLXX. Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 103. f. per duas columnas bene exaratus et rubricis distinctus est, ut e calce praeoccupo, *Rethorica Diuina de oratione domini Gwilhelmi Parisien. Arvernus* is est, Scriptor Sec. XIII. et Episcopus *Parif.* de quo et hoc illius Opere jam memini inter *Codices Patristicos.* Incipit illud etiam hic: *In sacris et sacrificatiuis exercitationibus que et quanta sit dignitas &c. et finit: sed etiam impetratur ab ipso gratia. Quam nobis concedat Deus trinus et vnus &c.* Annus scriptionis subiicitur 1421. Codex utrinque vestitus est laciniis Tractatus cuiusdam *rabbini* caractere rotundato paene ad modum hodiernae currentis *Judaeorum* scripturae exarati.

DCLXXI.

R. 3021

Codex chartaceus lat. germ. Sec. XV. Folior. 301. f. per duas columnas commode perscriptus et minio distinctus hanc in anteriori Theca Notam praefert: *Hunc et alios plures libros et circa LX. Libras denar. dedit dominus Nicolaus Wibel olim plebanus in maurbach fratribus carthusiensibus ibidem. Qui obiit anno 1455. Alia autem bona testatus est ad ecclesiam suam parochialem in monte, pro quibus est empti vinea pro LX. Libr. denar. et pratum pro plebano pro LX. Libr. denar. O-*

retur Deus pro eo, prout bene meruit, quia vir bonus et fidelis nobis fuit. Volumen porro a bono hoc Viro propria manu exaratum continet, quae sequuntur: I. Thomae Cantimpratani O. P. Librum de Apibus, seu Bonum Uniuersale a me utroque Vol. ut Indices docent, non semel indicatum, cum clausula: Explicit liber de uniuersali bono de moralitate Apum Per manus N. Wybel Nwemburgens. dyocifs. finitus Anno domini 1439. Dioecesis intellige Districtum aut Decanatum Neoburgens.

II. fol. 44. Psalterium Davidis una columna, et altera illius Versio germanica. Ad calcem: *Explicit psalterium de latino in volgare translatum per egregium doctorem Magistrum henricum de bassa. Sed ubi vel ponitur, Nicolaus Wybl scriptor huius opusculi applicuit, finitque Anno domini Millesimo Quadrigintesimo Quadragesimo primo in die octaua Beate Marie natiuitatis ipsius virginis. Cum ignaris ignoravi haecenus, Virum de Austria optime meritum etiam in vertendo Psalterio elaborasse. Itaque non pigebit speciminis ergo Psalmum I. exscribere: Es ist ein selig man, der nicht gegangen ist nach vnrecht leut rat, noch ist gestanden in der sunder weg, vnd auf dem stul dez todes vel sterbens nicht ist gefessen. Sunder nach gotes gepot stet sein wyllen, vnd in seim gepot gedent er tag vnd nacht. Vnd er wirt seyn ein holcz, das gepflanzt*

Ff 3

ist

ist pey dem ablas zu fließendem wasser, das gezt im sein frucht in seiner czeit. Vnd sein plat nicht fleuzt, vnd ist in alle sein werch der feld bait. Vel vnd alls, das er tut, wirt im gelüksam. Nicht so geschicht den vngutigen, nicht also, sunder als dem staub, den der wynt auff der erden zetreybt. Darvmb nicht erstend in dem gericht dye übellen, noch dy sunder in der rechten rat. Wen got wayzz der rechten weg, vnd der gank der sunder wirt verloren. Pfalterio accedunt Hymnus Ambrosianus der engelische sangk, Cantica Zachariae, B. Virginis, Simeonis, trium Puerorum, Zacharie sangk, vnser frauen sangk, Symeons sangk, der drey cbinder sangk, et Symbolum Athanasianum Athanasij glamben. Vetus glassemata colligi posse, vel Psalmus CXLIX. argumento fit, in quo: in tympano, in sumpperen, in salutem zu felden, Exultationes Dei in gutture eorum, Gots mun ist in irem drowsl, gladii ancipites, varen wächse swert &c.

III. fol. 121. Libri Dialogorum S. Gregorii Papae, prout extant in edit. Maur. Opp. T. II. col. 150. Indicem adjectum inscripsit folers Wybelius: Tabula tocus ex paruitate mei sensus collecta.

IV. fol. 191. Triga illa Epistolarum de B. Hieronymo, ut habetur inter Subposita in edit. Opp. Hieronymi Vallarf. T. XI. verum nobis hoc ordine: Augustini ad Cyrillum, Cyrilli Responsum, Eu-

sebi ad Damasum. Ad calces ait Wybelius eas se descripsisse anno 1439. A nobis saepius jam relatae sunt. V. fol. 233. Incipit prologus in librum de vita beate Elizabeth Hungaricae videlicet, autore Theodorico Thuringo O. P. de quo jam egi Vol. I. P. 3. col. 2734. monuique, Librum hunc postremum editum fuisse a Ge. Prayo Tyrnaviae 1770. 4. Hic itaque solum commemoranda veniunt ea, in quibus a praedicta Editione discrepat Codex noster. Verba ultima L. VIII. c. 8. in Edit. sunt: cui facillime resistebat. Ab his Exemplar nostrum sequentes Rubricas adtextit: De alijs viciorum turpitudine laborantibus. De quodam Elizabethae orationibus a purgatorii igne liberato. De ceco puero. De memorialibus ad sedem apostolicam transmissis. De viro religioso, cui in die mortis sue b. elizabeth apparuit. De examinatione multorum. De canonizatione beate Elizabeth. De reuerentia quam papa beate elizabeth et fratri Conrado exhibuit. De translacione sacrosancti corporis beate elizabeth. De magno desiderio populi. De sublimibus personis que aderant et oblacionibus. Consideracio operationis diuine circa hoc negocium. De oleo quod de sacratissimis ossibus emanat. De odore. De puella mortua meritis beate elizabeth resuscitata. Epilogus breuis, post quem Explicit liber de uita et morte et miraculis beate elizabeth. De sermone angeli,

li, quo beatam instruxit elizabeth de statu perfectionis et eximie virtutis: Demum Literae Gregorii IX. de Canonizatione et Innocentii IV. de Translatione. Atque has Prayus inseruit Dissertationi suae praeviae, ut et alia quaedam e recensitis, quaedam vero in fontibus suis reperisse non videtur, licet Syllogen Miraculorum a Sede Apostolica adprobatorum subjunxerit.

Caesarii T. VIII. *Bibl. PP. Lugd.*

I. 26.

II. 27.

III. 28.

IV. 29.

V. 30.

VIII. 31.

IX. 1.

VII. fol. 277. *Constitutiones Concilij Basiliensis*. Excerpta e Sessionibus, quae ad *Colled. Concill. Labbei* edit. Venet. T. XVII. exigam. Sess. I. col. 220. II. 235. VIII. 259. XII. 275. XV. 288. XVI. 291. XVIII. 305. XIX. 312. XX. 314. XXI. 317. XXIII. 332. XXIV. 340. Atque istud Excerptum est *Bulla de Indulgentiis: Vox illa iocunditatis* &c. quam sequuntur Puneta ex illa extracta Populo in lingua vulgari exponenda, et ipsa Bulla in germanicum versa adhaerentibus duabus *Executorialibus* latinis, quarum prior *Hainrici superioris Stiriae Archidiaconi* ad Parochos et Christi fideles data in *Gozz (Göfs)* a. 1437. altera *Hainrici Plebani in Kirchberg Super. Styrmark*

VI. fol. 263. Incipiunt omelie beati *Cesarj*. Incertae illae vulgo, et inter *Arelatensem Praesulem* et *Eusebium Emisenum* fluctuantes, unde et Noster ad calcem: *Expliciunt Omelie beati Eusebij emiseni*. Alibi autem intitulantur *Sermones vel Omelie beati Cesarj Episcopi Arelatensis*. Sunt numero XII. et ex his

Eusebii T. VI. *ibid.*

VI. ad Monachos 7.

VII. — — — 8.

X. — — — 1.

XI. — — — 2.

XII. — — — 3.

pariter *Archidiac. et Commissarii subdeputati* ab *Henrico de Fleken* Vicario generali et Officiali Ecclesiae et Curiae *Salczburgen.* et Magistro *Joh. Hymel* sacrae Paginae Professore *Viem.* quibus accedit Fides ejusdem *Henr. de Fleken.* qui se *Commissarium ad prosequendum indulgentias propter reductionem Graecorum* adpellat. Succedit Epistola *Eugenii* de Reductione Graecorum, ut *Labb. T. XVIII. col. 1181.* Damnatio *Basileensis* Ejusdem, ut *T. XVII. col. 390.* Rescriptum *Eugenii*, ut *T. XVIII. col. 1202.* et Promulgatio Jubilei a *Nicolao V. 1450.* celebrati, et anno sequenti per *Card. Nicolaum de Cusa* in Germania diditi. Data est post Congregationem *Salisburgi 3. Febr.* habitam pro *Districu Vien.*

1579

C O D I C E S

1580

Viennensi a Leonbardo Ep. Pataviensi 20. ejusd. mens. 1451.

DCLXXII.

R. 1998 Codex partim membranaceus, partim chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 137. f. rubricis distinctus et olim *Fratrum Cartusiensium prope pragam* continet *Bonum universale de Apibus*; ita enim *Thomas de Cantimprato*, vulgo *Cantipratanus O. P.* binos Libros *fusos de Praelatis et de Subditis* dici voluit teste Praefatione ad *Humbertum* generalem Ministrum Ordinis. Extat Opus piis narratiunculis scatens saepius impressum, et a me jam relatam *Vol. I. P. 2. col. 1340.* ubi tamen *Librum II.* deesse dixi. Hic vero integrum est, sed contra Autoris mentem *Liber II.* divisus in duos ita, ut *fol. 53.* incipiat *Tertius a Cap.* videlicet: *Videas de claustris alias esse sollicitas &c.* quod in Codice est *LIII.* in Editione vero *Parisiensi f. a. f.* curata a *Bonafpe Puteano XXVII.* cujus diversitatis ratio est, quod in Codice *Liber II.* non ordiatur a novo Capitum numero, sed numeri *Libri I.* ulterius continentur. Ad calcem nobis: *Explicit liber bonus de Apibus,* et Index alphabeticus Rerum.

Galenus. Omnibus assuetam iubeo servare dietam.

Ypocras. Approbo sic esse, nisi sit mutare necesse.

Ad c. 8. quatuor Temperamenta:

Sanguineum. Cantans carnosus satis audax atque benignus

Largus amans hilaris ridens rubeique coloris.

Chole-

Praetenta est Codici Membrana partem Catalogi vetustae cujusdam Bibliothecae monasticae exhibens, e qua fortasse tolli vellet *Summa palladij rutili tauri emiliani in opus agriculture*, et *Summa que dicitur flores distaminum magistri petri de vineis.*

DCLXXIII.

Codex membranaceus lat. Sec. R. 912 XIV. Folior. nunc 256. f. maj. per duas columnas luculente beneque perscriptus, coloribus illustratus et olim Collegii S. J. *Viennae* complectitur *Bartholomaei de Glanvilla*, dicti *Anglici O. M.* qui vivendo hujus Codicis aetatem adtingere potuit, *Libros XIX. de Proprietatibus Rerum* saepius prelo proditos, saepius a me relatos, ita tamen, ut *Liber I. et II.* exciderint, et a *III.* ita ducatur initium: *Adiuuante ihesu christo in precedentibus aliquas proprietates de substantia penitus incorporata &c.* A *Libro IV.* incipiunt pullulare Summaria in marginibus, eaque a prima manu, Versus item ad materiam, quae in Textu tractatur, adpositi, quorum aliquos delibabo. Ad *L. IV. c. 4.*